

VIII

IN BARINEN

Strophe Sapphica

Ūlla sī iūris tibi pēierātī
Poena, Bārīnē, nocuisset umquam ;
Dente sī nigrō fierēs, vel ūnō
Turpior unguī,

Crēderem : sed tū simul obligāstī
Perfidum vōtīs caput, ēnitēscis
Pulchrior multō, iuvenumque prōdīs
Pūblica cūra.

Expedit mātris cinerēs opertōs
Fallere, et tōtō taciturna noctis
Sīgna cum caelō, gelidāque dīvōs
Morte carentēs.

Rīdet hoc^c, inquam, Venus ipsa, rīdent
Simplicēs Nymphae, ferus et Cupīdō,
Semper ardentēs acuēns sagittās
Cōte cruentā.

Adde quod pūbēs tibi crēscit omnis ;
Servitūs crēscit nova ; nec priōrēs
Impiae tēctum dominae relinquunt,
Saepe minātī.

Tē suīs mātrēs metuunt iuencīs,
Tē senēs parcī, miseraeque nūper
Virginēs nuptae, tua nē retardet
Aura marītōs.